

inter germanos ortum est in hoc usque tempus orta sint et subsecuta, inveniunt in primis quod in fide ac alias multiplices dissensiones sectae et haereses quarum similes per multos centenos annos audita non sunt, et quae nemo hominum referre potest natae sunt; quae dissensiones de die in diem magis ac magis sic auctae sunt et augentur ut nisi huic malo mature succursum fuerit maiora incommoda deinceps fidei ac religionis expectanda et timenda sunt.

Hinc sequitur ut videre licet quod omnis honor, omnis disciplina, omnis obedientia, denique omnes aliae bonae virtutes tam in spiritualibus quam secularibus omnino pessumibunt et funditus cadent, quemadmodum ex ante actis temporibus abunde satis magna argumenta facile colligi possunt.

Et quamvis praeterito tempore absente Caesarea Maiestate Vestra inter multis celebratis comiciis ut Nurembergae, Spiraque et proxime praesente Caesarea Maiestate Vestra Augustae de hoc negotio abunde satis et pro necessitate tractatum et consultatum sit pro componendo hoc tam gravaminis pleno negotio, dissensione fidei; sed nihil fructuosius excogitari aut inveniri potuit quam si generale christianum concilium per sanctissimum dominum nostrum Papam constitueretur et evulgaretur sicut iam olim multo minoribus dissidiis et sectis alia ratione subveniri et consuli quam per concilia non potuit; eius rei causa status in ante celebratis comiciis Vestram Caesaream Maiestatem obedientissime requisiverunt et diligenter petierunt ut Caesarea Vestra Maiestas de indicendo concilio negotium apud Sanctissimum Dominum Nostrum maturare velit tantumque efficere ut concilium indicatur et licet electores principes ac status eius rei causa elementem et a Caesarea Vestra Maiestate et Spira a S. D. N. papae legato promissionem perceperint, nichilominus tamen hoc negotium hactenus dilatum est et intromissum et gravamen hoc in Germania de dieta imperiali in dietam magis magisque auctum est iamque eo ventum est ut si christiana religio ac fides nostra catholica in romano imperio ac Germanica natione similiter et pax unitasque servari debent et vastatio Germaniae preveniri ut maturo bono et prudenti consilio opus sit et nulla comodiore ac certiore via fieri possit quam per generale ac Christianum Concilium.

233*

Cum itaque Vestra Caesarea Maiestas proximis celebratis comiciis Augustae ad diligentem petitionem electorum principum ac statuum elementer an-

nuerit quod Maiestas Vestra apud S. D. N. curare et providere velit ut per suam sanctitatem intra sex mensium spacium post finem et conclusionem comiciorum generale concilium in constituto et certo loco indicatur, et quod post huiusmodi indictione intra unius anni spacium auspicetur ac celebretur. Propterea electorum Legati, Principes ac status obedientissime petunt Vestra Caesarea Maiestas elementer ipsos certiores facere dignetur quid Caesarea Maiestas Vestra in ea causa apud S. D. N. ac alios potentatus tractaverit et quis status sit huius negotii. Si vero Caesarea Maiestas Vestra apud sanctitatem papae hactenus nihil tractaverit status Vestram Caesaream Maiestatem iterum obedientissime petunt Vestra Caesarea Maiestas dignetur intuitu summae necessitatis et periculi in quod germanica Natio posita est nunc Deum huiusmodi vias apud sanctissimum instituere ut concilium intra sex mensium spacium post finem horum comiciorum in Germania indicatur et postea intra anni spacium auspicetur ac celebretur.

Si vero usu venerit quod S. D. N. ut Concilium celebretur consentire noluerit aut negligentior in indicendo fuerit, petunt ut Vestra Maiestas considerato quod Vestra Maiestas caput, tutor et defensor Communis christianitatis ac sacri romani imperii favente divina clementia ordinata sit elementer expendere velit quod ex dilatione vel non indictione concilii nihil certius sequi possit quam divisio ac desolatio christianae fidei ac totius sacri romani imperii germanicaeque nationis et existimant electores Principes ac Status ut maxime per tractatus quos electores Maguntinus et Palatinus Rheni ex commissione Maiestatis Vestrae cum electore Saxoniae ac sibi adherentibus hoc tempore dissensiones quaedam componantur et quodammodo uniantur. Universo tamen negotio hac ratione consuli et haec multiplices ac graves sectae extirpari et penitus tolli non poterunt unde facile committere cuilibet licet quod huiusmodi concordia non sit diu stabilis permansura et denique necesse futurum sit ut omnia per Concilium determinentur. Cum itaque in christiana religione fere fieri consueverit quod Romani imperatores in similibus casibus christiana Concilia indixerint ac celebraverint hoc vero tempore ex enumeratis causis summa necessitas quae praeforibus est nullamque longiorem moram pati potest requirit et exigit ut concilium primo quoque tempore celebretur. Maxime vero cum nihil magis ex utraque parte desideretur electorum legati principes ac status obedientissime et summo studio